

iculus, quo callidore arte fermento Pharisaico, & pietatis fuso magis involutum Fidelibus propinatur: Illud laudati Operis Tomus hic tertius, uti & uterque prior Ecclesiae detegit, ac tam dilucidè lectori cuilibet ponit ob oculos, tam potenti destruit antidoto, desumpto ex Sacris literis, Sanctis Patribus, Oecumenicis Conciliis, & definitionibus Pontificum, ut nemini in posterum nisi sponte sibi interitum conciscere volenti, nefandæ virus hæreseos Jansenianæ valeat nocere. Tomus hic tertius Testamentum vetus, ejusque Duces, & Doctores Sanctissimos Moysen, Prophetas, Sacerdotes à calumniis vindicat, uti & saluberrimum Dei, & eternorumque suppliciorum timorem à blasphemias, quibus eos irreligiosa Quesnelli maledicentia conspurcare moliebatur. Illic perniciosa refellitur temeritas, ita viam salutis abbrevians, ut totum salutis negotium fide, & precibus concludat. Illic stabiliuntur vera nostra, & propria per gratiam merita, ita ut non omnis usus, augmentum, & præmium fidei, sit donum puræ, seu meræ liberalitatis Dei. Illic altera à Sanctorum afflictionibus avertitur contumelia, quas non immitti semper ad puniendum peccatum, vel purificandum peccatorem; sed ad fines sæpè nobiliores, universa credit Ecclesia. Ibi diffringitur exitialis machina Novatorum, qua arrogare sibi præsumunt potestatem ob sui conservationem dispensandi se à legi qualibet; quam Deus ob hominis condidit utilitatem. Illic ostenditur neque Ecclesiam acephalam esse, seu gregem finè Pastoribus, neque à partium, & membrorum etiam præcipuorum numero rescissos esse quoslibet peccatores. Cui veritati opposita novitas summam in Ecclesiae regimen inveheret perturbationem, unde & præberetur dissolutio nem amantibus occasio, ut omnis abrogaretur obedientia superioribus, quos peccato censerent obnoxios, quales Jansenistarum opinione omnes sunt, qui eorum novitatibus adversantur. Eodem Tomo Regulis Tridentini Indicis, Quartæ potissimum Novatoribus odiosæ, sua firmatur authoritas, & præsens Ecclesiae tum in administrando Pœnitentiæ Sacramento, tum in Divinis Officiis Disciplina stabilitur; uti & excommunicandi potestas Ecclesiae Pastoribus concessa, itaut in sui exercitio minimè pendeat à totius corporis consensu sive subsistente, sive præsumpto. Denique rectè subvertitur exitialis Jansenistarum regula ad omnes Ecclesiae excommunicationes obtentu injustitiae eludentas subdolè excogitata.

Quapropter ardenter desideramus, ut saluberrimum hoc opus legant Filii obedientiæ, qui Matrem suam Ecclesiam imitati, Constitutionem illam amplecti non dubitarent. Illic obedientiam suam videbunt, non tantum columnâ, & firmamento veritatis inniti; sed & vinculo agnitæ veritatis constringi, confirmarique. Si Filii Babylonis etiam non dedigentur hoc Opus consulere, pudebit ipsos ulterius contra stimulum calicitrare, & explicationibus variis partim Constitutionis sensum aliò detorquentibus, partim inutilibus, inconsutilem Christi tunicam conscidere, ac denique nisi agnitarum veritatem impugnare fixum ipsis animo sedeat, requiescat super ipsos Spiritus unionis, & oriatur abundantia pacis super Israel. Fiat: Fiat.

Datum Brugis in Palatio nostro Episcopali die 8. Aprilis anno 1721.

Henricus Josephus Episcopus Brugensis.

#### APPROMBATO

Illusterrimi, ac Reverendissimi Domini

JOANNIS BAPTISTÆ DE SMET

Dei, & Apostolicæ Sedis gratia Episcopi Irenensis &c.

O pus, cui Titulus, *Constitutio UNIGENITUS Theologicè propugnata &c.* nunc tertio Tomo auctum, duobus prioribus apud Catholicos bonos omnes debitam laudem, id est summam pridem est assecutum, uberes fructus in Ecclesia Dei peperit, quotidie parit magnos, promittit maximos. Aequali commendatione, in lucem prodit hic Tomus tercius. Nihil in eo occurrit, quod Doctrinæ Catholicæ, aut bonis moribus adversetur, sed Authoris absoluta in hac materia eruditio duratis laboribus comparata, cui parem nemo publicam fecit. Accedit in detegendis pessimæ hujus hæresis fraudibus

con-